Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1491

Quelle:
Copyright:

Codicem ambit Membrana continens inhibitionem et citationem factam a *Nicolao Ep. Ferentino S. Palat. Apoſt. cauſſarum Auditore*, impetrante *Joanne Ep. Luthomisl. ad Eccleſiam Pragenſ. capitulariter poſtulato, aduerſus Sbinconem, qui ſe gerit pro Archiepiſcopo Prag.* et datam *Romae apud S. Petrum anno 1404. indict. 12. die Ven. 16. m. Maji, Pontificatus Bonifacii IX. anno 15.* Cum nominibus Teſtium et Notarii *Conradi de Helderunge*, lectamque *Pragae die 9. m. Julii.* Item cum nominibus Teſtium et Notarii *Mathiae quondam Duchonis de Sladna.* De qua Lite apud Scriptores *Bohemos*, quos quidem volvi, nihil inveni.

CCCCI.

882 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 203. f. per duas columnas probe deſcriptus, et rubricis enotatus Exemplar eſt alterum *Sermonum Johannis Wiclefi de Sanctis*, ita decurrens, ut illud *Cod.* praeced. initio ducto a Natali Domini in illud: *Exiit edictum a ceſare Auguſto* &c. *Lucae* 2. et Sermone auſpicante: *Continuando ſermones ſanctorum cum ſermonibus dominicis* &c. Ad calcem legitur: *Expliciunt ewangelia de ſanctis*, et continenter *fol.* 142. p. 2. adjunguntur, ut *Cod. cit.* XXIV. illi *Sermones* mixti, quorum primus in illud: *Caro mea vere eſt cibus* &c. *Joh.* 16. incipit: *Hoc ewangelium alludit fundacioni ſanctiſſimi ſacramenti eukariſtie* &c. Nullibi Autoris nomen.

Duobus locis Codicis occurrit Μονογραμμα e literis H. G. P. implexum liquore purpureo, cui additur: *Vidi* 1530. Thecae item poſticae mandatum eſt Απογραφον Teſtimonii, quo *Hinco* (Henricus) *dictus Berka de Duba Purgrauius Pragenſis et Hinco ſenior filius ipſius* recognoſcunt: *Johannem Portulanum Portae ſuperioris caſtri Pragenſis, quod uocatur in Hradczanie, ſanum mente et corpore Portulaniam ſuam cum omnibus Juribus, Pertinencijs ac vtilitatibus ſuis rite et rationabili vendicionis tytulo vendidiſſe Andreae genero ſuo pro certa ſumma pecunie.* Id, quod ratum habent et confirmant. *Datum prage anno domini* M. CCCXLVII. *in octaua feſti Ephifanie domini.* En *Portulani* nomen non ſolum a *Portu*, aut *Portando* derivari, ut *Cangio* et *Carpentario* viſum, ſed etiam a *Porta*, unde *Portulanus* idem, quod modernis linguis *Pförtner*, *Portiere*, *Portier*, *Porter*, et eadem formatione, qua *Caſtellanus.*

CCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 904 XV. Folior. 236. 4. non una manu conſcriptus, rubricis diſtinctus et ad *Bohemiam* pertinens haec complectitur: I. *Joh. Wiclefi Dialogum*, qui infit: *Cum idemptitas ſit mater faſtidij* &c. ut ſaepe alias. Ad calcem aperte:

Explicit